

aut mentibus denique ista percipiunt, qui sub fucatisissimis obedientiae et tranquillitatis titulis diaboli iugum, quod „interim“ uocatur, in se et suos recipiunt. Christus non temere dixit: „qui non accipit crucem suam ac sequitur me, non est me dignus.“¹⁷ Hoc omnes prophetae, apostoli et martyres fecerunt, hoc Christus ipse fecit. An tu misera et inquinata bulla, tibi aliquid separatim ab his fieri postulas? Haec, haec, inquam, confirmare et erigere nos eoque animo dicta Christi, quo ab ipso et apostolis tradita sunt, accipi et ponderari, deberent. Haec sapientia magis deceret homines christianos quam istae cum potentibus collusiones, quibus pacem et tranquillitatem huius mundi turpissime aucupantur. Quemadmodum res ipsa testatur, ne plura dicam. Nec mihi quis hic obijciat dictum Catonis: „Sic ars deluditur arte.“¹⁸ Ne sibi tribuat quisque tantum artis, ut cum diabolo dolo et fraude certet. Notum est enim, quid acciderit Philomelae contendenti contra accipitrem.¹⁹ Vt taceam, quod minime decet grauitatem et candorem nostrae gentis his uulpinis artibus niti. Quanque ubi nunc est uirtus? ubi candor? ubi robur animi? O terque quaterque foelicem Germaniam, si exotica mercimonia nec uidisset unque, nec molli uictu et uestitu exoticas mores inuexisset. Non haec in contumeliam ullius gentis dico. Sed illos satis mirari non possum, qui nati in Germania non solum effoeminatas gentes, sed nescio, quo diabolico impetu, ut quaeque est barbarissima gens, ita maxime barbariem illius imitantur in habitu, uictu, motu corporis, perfidia, immanitate. Et tamen interea sceleratissimi bonorum omnium, religionis, patriae et propinquorum proditores splendidissimis bonorum titulis nuncupari uolunt. Deus sanguinolentos ipsorum conatus aliquando retundat et reprimat et liberet nos ab omni malo. Certum est eos, qui nunc tanque re bene gesta triumphant, suo tempore poenas scelerum, perfidiae et prodicionis suae daturos.

[A 4r:] Sed ut redeam unde digressus sum: nec nos Germanos nec ullam gentem in terris artes uulpinae et diabolicae istae technae decent, quibus iam multi adeo utuntur, ut atrii an albi sint nemo ne sub sole quidem meridiano cognoscere possit. Christus dicit Matth. v: „Sit sermo uester est, est, non, non.“²⁰ Nos diuinis mandatis pulchra glossemata et interpretationes affingimus, si tamen affingimus et non penitus ea ex omni memoria euellimus. Sed glossemata ista et istos glossatores iudicabit Deus iustus, fidelis et fortis. Haec postfari uoluimus in pasquillum, qui facit analysin aduerbij „interim“, quod Christo et ipsius gregi sub falso pietatis titulo obruditur. Fecimus

¹⁷ Mt 10,38.

¹⁸ Ps.-Marcus Porcius Cato Censorius, Disticha I, 26, in: Disticha Catonis, 63.

¹⁹ Philomela war die Tochter des Königs Pandion I. von Athen und wurde dem Mythos nach von Tereus, dem Mann ihrer Schwester Prokne, entehrt und der Zunge beraubt, damit sie das Verbrechen nicht anklagen konnte. Philomela verriet diese Untat jedoch ihrer Schwester mittels einer Stickerie. Daraufhin von Tereus verfolgt, wurde sie in eine Nachtigall verwandelt. Vgl. Ovid, Metamorphosen VI, 412–674, in: Metamorphosen, 308–326.

²⁰ Mt 5,37.